

## EXORCISMUS MELANCHOLIAE

Quōmodo iocābantur Graecī et Rōmānī antīquī? Ecce iocī dē Scholasticō, quī inveniuntur in librō Φιλόγελως, Graecē scrīptō, ab Hierocle et Philargiō grammaticō, dē quibus nunc nihil scīmus, et ā Iacobō Pontānō saeculō XVI Latīnē redditō. Haud multum hōc dē librō scīmus, sed rīsum movent iocī, quōs līber continet. Rīdendum est!



Scholasticus dum natāre tentat, paene submersus est. Iūrāvit igitur, nōn ingressūrum dē caeterō aquās, nī prius bene natāre didicisset.

scholasticus = vir simplex atque rīdulus, quī saepe nūgās sēriō dīcit  
tentat = temptat = cōnātur  
iūrāre iūrāvisse iūrātum = affirmāre, prōmittere  
dē caeterō = dē cēterō = posthāc  
nī = nisi

Scholasticus quīdam medicum conveniēns, dīxit: “Medicē, quotiēs dē somnō surgō, per dīmidium hōrae adhūc mihi tenebrae sunt, atque ita dēmum restitutor”. Tum medicus: “Sērius igitur dīmidiō hōrae expergīscere”.

restituere = sānus fiō

expergīscī perrēctum = surgere

Quīdam Scholasticō obvius factus dīxit: “Domine Scholastice, per somnium tē vīdī, et compellāvī”. Tum Scholasticus, “per deōs”, inquit, “occupātus nōn attendī”.

obvius fit = occurrit

somnium = somnus

compellāre pellāvisse pellātum = appellāre

occupātus ↔ ōtiōsus

attendere tendisse tentum = animadvertere

Scholasticus cōnspicātus medicum prō cōnsuētūdine venientem, cooperuit sē, nē vidērētur. Interrogātus ā

cōnspicārī cōnspicātum = cōnspicere  
consuetudo, inis *f* = quod fierī solet, mōs  
prō cōnsuētūdine = ut solet, semper id facit

sē cooperuit = sē occultāvit  
*Scholasticus* interrogātus

quādam sodālī suō, cūr id faceret; respondit: “diū est quod

nōn aegrōtāvī, et mē cōram illō pudet”.

sodalis, is *m* = amīcus

mē cōram illō esse pudet

Scholasticus volēns vidēre, an decōrē dormīret, clausīs oculīs  
speculum intuēbātur.

decōrē = pulchrē

Scholasticō peregrē proficīscētī amīcus dīxit, “quaesō  
mercāre mihi duōs puerōs, utrumque annōrum quīndecim”.

peregrē proficīscī = in aliēnās terrās iter  
facere

quaesō mercāre = ōrō tē ut mercēris  
mercārī = emere

“Sed sī nōn invēnerō”, inquit ille, “duōs, mercābor tibi ūnum,  
annōs nātum trīgintā”.

Scholasticī duo parricīdae indignābantur inter sē, quod  
patrēs illōrum adhūc vīverent. Alterō itaque dīcente, “vīsne  
igitur ut uterque suum prōvocet?”, “absit”, inquit alter, “nē  
parricīdae audiāmus. Sed, sī placet, tū meum, ego tuum  
occīdam”.

parricīda, ae *m* = quī necāvit patrem  
indignārī = irātus esse, aegrē ferre

prōvocāre = ad pugnam vocāre, necāre  
absit = deus prohibeat, deus nōs tueātur

audiāmus = exīstimāmur  
meum... tuum *patrem*

Scholasticus, cum putāret sē in somnīs clāvum calcāsse,  
pedem circumligāvit. Sodālīs autem eius causā quaesītā et

calcāre, calcāvisse, calcātum  
clāvum calcāsse



pedem  
circumligāvit  
circumligāre, āvisse, ātum = cingere

cognitā, “iūre” inquit, “fatuī vocāmur, cūr enim nōn

dormīmus calceātī?”

quaerere, quaesīvisse, quaesītum  
cōgnōscere, novisse, nitum  
fatuus, a, um = stultus  
calceāre = calceōs induere

Scholasticus multīs diēbus librō requisītō, nec inventō, cum

forte lactūcam comederet, conversus in angulum, vīdit

requirere, quīsīvisse, quīsītum




lactūca

ibīdem iacēre librum. Postea amīcō occurrēns lāmentantī, ut

quī vestīmentōrum ōrnātum amīsisset, “nē doleās”, inquit,

“sed lactūcās eme, et eās comedēns in angulum conversus

com-edere



lamentārī = flēre  
ut quī = quia is  
vestīmentōrum ōrnātus = vestis

attende oculōs, et vestem inveniēs”.

Scholasticō amīcus peregrē absēns scrīpsit, ut sibi librōs

coemeret. Is rē neglēctā, reversō inquit, “mīsistī epistolam dē

librīs emendīs, quam nōn accēpī”.

co-emere = emere  
reversō = eō, quī reversus est  
epistolam = epistulam

Quīdam in Scholasticum incidēns, “servus”, inquit, “quem


vēndidistī mihi mortuus est”. Tum Scholasticus, “per deōs”,

“quandō mēcum erat, tāle nihil fēcit”.

incidere = obvium īre, occurrere alicui

Scholasticus somnum capere cupiēns, cum pulvīnum nōn habēret, servō mandāvit, utī amphoram suppōneret. Quō dīcente nimis dūram esse, iussit eam plūmīs implērī.

somnum capere = dormīre



pulvīnus



amphora

mandāre = imperāre

utī = ut

sub-pōnere



plūma

Scholasticus occurrēns amīcō, dīxit: “audīvī tē esse mortuum”. Respondit amīcus: “atquī vidēs mē vīvere”. Et Scholasticus, “at quī mihi hoc nārrāvit, fide est longē dignior”.

atquī = sed, verum

longē = multō

Scholasticus atrōcī tempestāte nāvigāns, ministrīs flentibus, “nōlīte flēre”, inquit, “nam ego vōs omnēs in testāmentō liberōs scrīpsī”.

atrōx, ōcis = horribilis, saevus

minister = servus

testāmentum, ī n = id quod homō moritūrus scrībit dē rēbus suis dīvidendīs

Ex gemellīs frātribus alterō dēfūctō Scholasticus vīvō occurrēns, sīc eum appellat, “tūne an frāter tuus obiit?”

gemellī frātrēs = geminī

dēfūctus, a, um = mortuus

ob-īre = morī

Scholasticus ad coenam vocātus, nōn edēbat. Interrogātus ā convīvīs, cūr nōn comederet, “nē comedendī causā”, inquit, “adesse exīstimer”.

coena = cēna

Scholasticus cōspectā lūnā percūntātus est patrem suum,

percūntāri = rogitāre

an et aliīs urbibus tālēs lūnae essent?

Scholasticus facētus, sūmptibus egēns, librōs suōs vēndēbat,

facētus, a, um = iocōsus, rīdīculus  
sūmptus, ūs *m* = pecūnia  
egēns, entis = carēns

scribēnsque ad patrem, dīcēbat: “grātulāre nōbīs, iam enim

librī nōs alunt”.

Scholasticus cum fīlium fūnere extulisset, et posteā magistrō

fūnere efferre = corpus mortuum in terrā  
pōnere

eius occurreret, “ignōsce”, inquit, “quod fīlius in lūdum nōn

venit, est enim mortuus”.

Scholasticus ēmptā domō dē fenestrā dēspiciēns

praetereuntēs interrogābat, an sē illa decēret.

praeter-ire  
illa *domus*  
decēre = ōrnāre